Sermo ad Confratres Parochos Decanatus Zathoriensis sub tempus congregat. decanalis a. 1753 habitus.

SERMO

ad Confratres Parochos

Decanatûs Zathorienſis,

ſub tempus Cõgregationis Decanalis

Anno Domini MDCCLIII.

per M. ANDREAM LIPIEWICZ,

pro tunc U. J. Profeſſorem, ac Eccleſiæ Parochialis Palczovienſis in eodem Decanatu Zathorienſi Curatum

HABITUS,

nunc in conteſtationem affectûs erga eundem Decanatum,

adductis quibûſdam Meditationibûs

de Sacerdotio

ex Sacra Scriptura,

cum facultate Superiorum

in lucem publicam

EDITUS.

Poſnaniæ 1764. Typîs Academicîs.

Dixit D[illegible]us ad Moysen:

L[illegible]rdotes. Sancti

e[illegible] & non pollu-

e[illegible] incensum e-

nim Domini & panes DEI sui

offerunt, & ideo sancti erunt.

Lev: 21. v. 1. & 6.

Orationes Academicae.

Perillustribus, Illustribus
&
Admodùm Reverendis Dominis
PRÆPOSITIS, CURATIS,
toti'q; Inclyto Decanatui Zathoriensi,
Patronis Observandissimis,
Author Operis
Salutem dicit.

Animi mei studium, quod litteris declarandum, testandumq́; Vobis, Patres Amplissimi, *esse censui, ea, præter alias, causa impulsiva fuerat, mutua illa nostrûm cõversatio, mutuus ille noster cõgressus, mutuus ille noster consessus; ac illibatus non fucatæ amicitiæ candor, quo invicem ferebamur, & cu-*

jus viva imago ad hunc diem usq; immo (dubitare non ausim) ad vitæ tempora cordibus nostris hæret, hærebitve.

Hinc est, quòd ad perpetuum meum erga Vos, Patres Amplissimi, cultum & observantiam pertinere putavi, Sermonem hunc, quem, anni decem abierunt, quomodo congregatis coram Vobis in unũ protuli, in præsentiarum in lucem hominum prodeuntem, tepentẽ adhuc à prelo Vobis sinè mora mittere: ut vestræ erga me benevolentiæ, qua indies me Confratrem Vestrũ non dedignati fuistis prosequi, si nõ in persona, saltem corde & affectu correspponderem.

Nec

Nec despectui ducite, quòd ex se sit exiguus, cùm ex bona voluntate Vestra magnus fiet: etenim parum auri multîs plumbi librîs præstat, & parva lux densissimîs tenebrîs, præstat & breve Regnum diuturnæ Tyrannidi.

Cùm verò Vos, Patres Amplissimi, *tam exiguũ opus magna erga me humanitate excipietis: ego ut Vos incolumes servet,*

Cui pluviæ guttæ, Cui cognitus omnis arenæ
Est numerus, ventique viæ:

& ut dilatet corda Vestra ad audẽdum pro Juribus Ecclesiæ, quæ audere non possunt, nisì potentes: ut det Vobis linguam ad docendũ, quæ docere non possunt, nisì DEUM ti-

men-

mentes: ut det Vobis manus ad operandū, quæ operari non possunt, nisi misericordes. Ædificetur moribûs vestrîs populꝰ, revereatur grex vultum Vestrum, timeat firmitatem pectoris Vestri obstinatus, cùmque messem animarum maximam in horrea Domini convexeritis, suscipiat animam Vestram Pastor Pastorum Dominus, *detque Vobis quod promisit, quia Vos fecistis, quod jussit. Valete.* Datum Posnaniæ. 4tô Nonas Januarii. MDCCLXIV.

SERMO

Obsecro Vos, ut dignè ambuletis vocatione, qua vocati estis.

Ephes: 4. v. 1.

IN hôc sacerrimo Vestrûm congressu de illis mihi potissimùm disserendum venit, quæ ad inclyti status Sacerdotalis antiquam gloriam spectant: ut hæccemet, quæ infelicium temporum declivi gressu ad occasum vergere videtur, novo possit oriente renasci: & sicut de Phænice intermoriente dicitur, etiam è suis cineribus suscitari. Proponam igitur Vobis *Patres Amplissimi* non subtilia, sed utilia: non diserta & erudita, sed fortia ac efficacia: non quæ aures mulceant, aut ungant, sed quæ mentes excitent, & pungant, munerisq; sui communefaciant quemlibet nostrûm.

Et quidem non mea e-
runt, quæ proferam, sed Spi-
ritûs Sancti eloquia: optâ-
rimque hodie, ut Dominus
exacuat & dirigat linguam
meam *quasi calamum scri-*
Psal: 44. v. 2 *bæ velociter scribentis:* ut in
tabulis cordium vestrorum
dignum aliquid valeat exa-
rare. Optârim, ut ponat *os*
Isai: 49. v. 2 *meum quasi gladium acutũ,*
& sagittam electam, intima
penetrantem: *sagittam salu-*
tis, quæ vulnerando sanet,
quæ ulcus pungat, virus ex-
Hebr: 4 v. 12. pungat: *gladium vivum &*
ancipitem ad divisionem ani-
nimæ pertingentem, ut omne
amaritudinis germen ampu-
tet, & demetat omnem al-
titudinem extollentem se
contra DEUM.

Exordior igitur, & Apo-
sto-

ſtoli verbîs Vos alloquor: *obſecro Vos, ut dignè ambuletis vocatione, qua vocati eſtis.*

O! quàm præclara ſunt hæc Apoſtoli monita, ſeria conſideratione expendenda: *fidelis ſermo, & omni acceptione dignus.* 1. Tim: 4. v. 9. Expēdite mecum parumper hæc ſalutifera Doctoris Gentium verba: *obſecro vos, ut dignè &c.* ego Vobis quam in ſortem vocati ſumus, & cur? breviter proponam. Tu verò Spiritus Sacratiſſime illumina ſenſus & corda noſtra.

NOmen ac Munus Sacerdotale quantæ æſtimationis, quantæ dignitatis fuiſſe priſcîs, ac eſſe modernîs temporibûs, nemo eſt, qui ambigat: loquūtur id Sacræ,

loquuntur etiam omnium Gentium literæ atq; linguæ. Etenim quemadmodum nihil unquam certius extiterat, quàm DEUM esse: cùm id ab ipsa natura hausimus, immo cum ipsa natura nobis congenitum, atq; omnium hominum impressum, necnon insignitũ animis sit, dicente Propheta -- *signatũ est super nos lumẽ vultûs tui Domine*, - ita nulla Natio tam fera, nulla omniũ tam immanis, nulla tam barbara fuit, quæ ignoraret in omni Republica quosdam dari necessarios ritus, quibus & Deo debitus cultus exhibeatur, & Sacrificiorum oblatio procuretur, *Religioque erga Deum habeatur.*

Psal:4.v.7.

DD. *Iul veti ff de Ius & Iur.*

D.Th:2.2. q.85.ar:1.

Hinc asserit *D. Thomas*:

Sa-

Sacrificium Deo offerre, esse legis naturæ: adeoque facilè nostra ratio convinci valet, statim crescente Mundo crevisse quoque Sacerdotum officium, ab ipsisq; Mũdi cunabulis Sacrificiorum natam fuisse institutionem, præeuntibûs Nobis exemplô *Cain* & *Abel*, exin *Nòé* & *Abraham*, tandẽ *Jacob* & *Moyse*, cæterîsque Veteris Testamenti Patriarchîs.

Et ut prætermittam eos, quos lumen fidei accendit: ipsi Gentiles, Ethnici, ipsi crassîs ignorãtiæ circumfusi tenebrîs, Dœmonum astutiâ & dolô illusi, attamen DEI Veri Omnipotentiam Majestatemque, illis, illis, è lapide, è ligno, è metallo, sculptis, excisis, fabricatis idolis

ad-

adſcripſerunt, atque eadem Deorum inſtar venerati, ſacrificia eiſdem obtulerunt, ſtatueruntq; Myſtas, Popas ac Sacerdotes, qui hoc ſingulari munere fungerentur: adeò, ut hæc Sacerdotalis dignitas, apud omnes Nationes & Gentes, apud omnes cujuſque ſtatus & conditionis homines, inq; omni Republica præ ampliſſimo honoris gradu æſtimata fuerit.

Lamormaini in vita cap. 9. Apprime facit illud *Ferdinandi II.* dictum: occurrentibus ſibi eodem loco ac tempore, Angelo & Sacerdote, ſe primùm Sacerdoti, deinde Angelo honoris officium perſoluturum. Quod ipſum jam antea Ethnicus ille, *Alexander Magnus*, Græciæ & Univerſi terror, opere

re complevit, quando contra Judæos irâ accẽsus, quòd *Dario* Persarum Regi tulissent auxilium, ingressus Hierosolimam ad ulciscendum, occurenti sibi Pontifici cum Sacerdotibus, illico equô descendit, nixûsq; humi genibûs adorans, respondit: -- *non hunc, sed Deum adoro, cujus Principatu Sacerdotii functus est.*- *Ioseph: Antiqu: Iud: lib 11. cap. 8.*

Et hæc erat origo, hic fõs, ex quo promanavit non ad paucas Gentes, quibus cùm lege, tum consuetudine cautum fuerat: ut ad Regiæ dignitatis splendorem, atque authoritatem confirmandã, Rex foret simul Sacerdos: *S. Ambr. ser. 18. in Ps: 118.*

Hanc ob causam magnus ille *Mercurius Ægyptius* se *Trismegistũ* nominavit, quo

ti-

titulo sese tripliciter esse magnum innuit: magnum videlicet Sapientē, magnum Regem, magnum Sacerdotē. *Xenophon* insuper generatim omnes Reges *Lacedæmonios* etiam Sacerdotes esse asserit, quod & primi Romanorum Reges, dein Imperatores observârunt. Unde canit Poëta:

S. Isidor: lib. 7. Ethym: cap: 12.

Rex Anio, Rex idem hominum, Phœbique Sacerdos.

Virgil: 3. Æneid.

Quid plus: vulgò dicebatur, ut refert *S. Ambrosius*, Imperatores Sacerdotium magìs optâsse, quàm Imperium Sacerdotes.

S. Ambr: Epist: 33 ad Marcellinam Sororem.

Verū ne videar sacris miscere profana, Melchisedech fuisse Regem Salem, & Sacerdotem DEI Altissimi, obtulisseque Sacrificium panis & vini, testatur Scriptura: quod in

Gen: 14. v. 1.

novo Testamento excellen-
tissimum prædicatur. Quid
dignius? quid excellentius
unquam excogitari potest?
quàm comparari ipsi Supre-
mo *Sacerdoti secundùm Or-* Psal: 109. v.
dinem Melchisedech, Christo 4.
Domino. Et ecce ipse Sal-
vator dicit, acsi idem foret
dicere: esse JESUM Christū,
& esse Sacerdotem: esse Sa-
cerdotem, & esse JESUM
Christum; dum dicit -- *qui*
vos audit, me audit: & qui Lucæ 10. v.
vos spernit, me spernit. Verè 16.
dignitas Sacerdotalis, digni-
tas ipsius DEI, juxta illud
Prophetæ -- *qui tangit vos,* Zachar: 2.
tangit pupillam oculi mei: & v. 8.
qui Sacerdotes inhonorave-
rit, Deum inhonorat, & Do- S. Ignat: ep:
minum JESUM Christum 10. ad Smyrn
Primogenitum omnis Creatu-

ræ. Meminerimus ergo, quã in sortem vocati sumus, ec-
Coloss: 1. v. 12 ce *in partem sortis Sanctorum in lumine:* ecce in sortem il-
1. Petr: 2. v. 9 lam, in qua *Genus electum, Regale Sacerdotiũ, Gens Sancta, Populus acquisitionis* efficimur: ecce in sortem il-
S. Ignat. ep. 10 ad Smyrnenses. lam, quam *S. Ignatius Martyr* apicem bonorum esse omnium, quæ sunt in hominibus, affirmat.

Adferrem Vobis innumera Sanctorum Patrum & Doctorum, sortis sive statusSacerdotalis elogia, ni scirem me brevitati studere, & Vobis hæc omnia trita, & bene practicata esse. Nihilo tamen minus placeat illud aureum sculptum effatum, quod *Blesensis* scribit: *Sacerdos est Co-*
Blesens. ser: 47. *adjutor Redemptoris, Consili-*

ari-

arius Domini Sabaoth: cujus consiliô offensi redeunt in gratiam DEI sui, hic est Dapifer Mensæ Christi. Aut quod *S. Gregorius Nazianzenus* annotavit: *O Sacerdotes! ô Mundi fundamenta! Christianæ fidei columnæ, immortalis vitæ Doctores, Christiferi.* Aliorum ùt dixi prætermitto elogia, illud prætermittere nequeo, quod *S. Laurentius Justinianus* de Dignitate Sacerdotali scribit: *Magna prorsus & admiranda Sacerdotum est dignitas, maxima est illis collocata potestas; sua namque prolatione, & ad eorum pene libitum Corpus Christi de panis transsubstantiatur materia: descendit de Cœlo in Carne Verbum, & Altaris verissimè reperitur in Mensa* Hoc

S. Gregorius Nazianz. ad Episcopos.

Laur. Justinian. Ser. de Corpor. Xsti.

illis prærogatum est gratiæ; quod nunquam datum est Angelis. Assistunt DEO, Illum contrectant manibûs, tribuũt populis, in seque suscipiunt.

HìcRhodus, hìc saltus, cur ad hanc sortẽ vocati sumus? Ergo ut indulgeamus illecẽbris carnis, & vanitati Mũdi. Ergo ut studeamus impotationibus, temulentiæ &

S.Chrysolog. Serm. 20. ebrietati, quæ *in alio crimen est, in Sacerdote sacrilegium.* Ergo ut vias pessimas ambulemus, & circulos vitiosos contra sanã rationis Philosophiam faciamus, juxta

Ps. 11. v. 9. illud: *in circuitu impii ambulant.*

Absit, absit hæc opinio mẽti. Audiamus *DoctoremGentium* adhortantẽ nos omnes -

Rom. 13. v 13. *sicut in die honestè ambulemus* non

non in camessationibus & ebrietatibus, non in cubilib9 & impudicitiis, non in contentione & æmulatione: .. immo fulminantē contra nos .. *manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, dissensiones, discordiæ, homicidia, ebrietates, cōessationes, & his similia, quæ prædico vobis: quoniam qui talia agunt Regnum Dei non consequentur.* Gal: 5 v. 19. Ponderate verba, si recordamini, quæ Episcopus ordinans in exhortatione ad quemlibet nostrûm pronuntiavit .. *Consecrandi Filii Dilectissimi in Presbyteratûs officium, illud dignè suscipere, ac susceptum laudabiliter exequi studeatis. Sã-*

cerdotem enim oportet offerre, benedicere, præesse, prædicare, & baptizare, cum magno quippe timore ad tantum gradum ascendendum est, ac providẽdum, ut Cœlestis Sapiẽtia, probi mores, & justitiæ observatio, ad id electos cõmendent. - Et ulteriùs - *Tales itaq́ esse studeatis, ut in adjutorium Moysi, & duodecim Apostolorũ, & Episcoporũ, qui per Moysen & Apostolos figurantur, dignè per gratiam Dei eligi valeatis. Itaq́ Filii Dilectissimi, quos ad Nostrum adjutorium, Fratrum Nostrorum arbitrium consecrandos elegit, servate in moribus Vestris castæ & sanctæ vitæ integritatem: agnoscite, quod agitis: imitamini, quod tractatis. Mortis Dominicæ Mysterium celebrantes, mortificare membra Vestra à vitiis & concupiscentiis omnibus procuretis. Sit doctrina Vestra spiritualis medicina populo Dei. Sit odor vitæ delectamentum Ecclesiæ Christi, ut prædicatione, atque*

exem-

exemplô ædificetis domũ, ideſt, Familiam Dei: quatenus nec Nos de Veſtra provectione, nec Vos de tanti Officii ſuſceptione damnari à Domino, ſed remunerari potiùs mereamini. Verba ſunt Epiſcopi conſecrantis. Ecce ergo finis, ob quẽ in ſortẽ hãc vocati ſum9.

Verùm enim verò quis non lugeat multorũ cæcitatẽ, qui Statûs, in quo à Deo poſiti ſunt, immemores, ſic ſe gerunt, quaſi res exigui foret momenti, quando agitur de diſpendio gratiæ, de animæ incolumitate, de æternitatis diſcrimine. Quis ſanæ mentis eũ judicet? qui ſalutem æternam tam carô pretiô à Filio Dei emptam fortunæ ac ſorti volubili exponere nihil veretur, aut æternitatis incertam aleam jactare parat? Ideo ita feriò, ita paternis viſceribus nos Apoſtolus præmonet, obſecrat, obteſtatur, ut ſolliciti ſimus, noſtra quiſque vocatione ambulare: ne ignorantes nos-

Cant.1.v.7. metipsos, abeamus, *post vestigia gregum*, post vestigia hædorum, animali inquam conversatione, quæ non sapit, quæ Dei sunt: ne aberremus per latum iter Mundi, per abrupta cupiditatũ, per anfractus vitiorum, de quibus non invenientes postea exitum, æternum tandẽ sortiamur exitium.

Non latet nos, quod olim Rex Sodomorum dixit ad A-
Gen. 14. v. 21. brabam: *da mihi animas, cætera tolle tibi*. Verùm & hoc, quod in libro Judith legim9.
Judith 8. v. 21. non nos latet. *Vos estis Presbyteri in populo Dei, & ex vobis pendet anima illorum*. Sumus instar Matris uterum ferentis, quæ si vivit, uni sibi non vivit, sola non moritur: ita & nos nobismetipsis

ſis vivimus, ſed animarum ſaluti: quas ſi vitæ inhoneſtate perdimus, ſi pravô exēplô mactamus, ſi negligentiâ noſtrâ in adminiſtranda cura animarum aberrare à via veritatis, mandatorūq; Dei facimus, ac illas in fauces leonis, qui *circuit quærens quē devoret*, intrudimus, requiret eas Deus *juſtus Judex vivorū & mortuorū* de manibus noſtris: *da mihi animas. Da mihi animas*, in templis: *da mihi animas*, in Lycæis: *da mihi animas*, in Curiis: *da mihi animas*, in aulis: *da mihi animas*, in caulis,: *da mihi animas*, in noſocomiis: *da mihi animas*, in ergaſtulis: *da mihi animas*, etiam in rotis & patibulis: *da mihi* ubique, ubique, ubique, *animas, animas, animas.*

1. Petr. 5. v. 8.

Act. 10. v. 42

Et hoc est, quid dixit cō-
munefaciēdo nos omnes Prin
1. Petr. 5. v. 2. ceps Pastorum Petrus -- *pa-
scite, qui in vobis est, gregem
Dei* - quasi hac verborū for-
mula, veluti intentô digitô
demonstrans nobis, quomo-
do tota gregis incolumitas
ex nostra pendeat incolumi-
tate, nos enim illum met acsi
sinu quodam circumferim9,
cujus proin eam rationem
habere oportet, quam fœtûs
sui, ùt dixi, habet mulier
gravida, quæ tantâ ejus,
quantâ sui curâ angitur.

O tempora! o mores! ubi
pietatis antiquus vigor!? u-
bi disciplînæ sanctæ rigor?
ubi illi Sancti Sacerdotes? qui
Cœlestem in terris scribun-
tur duxisse vitam? ubi stri-
ctra familiaritas cum Deo?

ubi

ubi ſibilus aureæ tenuis, & ſuſurri Divini loquentis ad cor? ubi mutua meliorum charismatum æmulatio, & ad oſtendendam viam, quæ ducit ad perfectionem Chriſtianam, fervens contentio?

Nõne ita evanuere omnia, ut ſolùm præteritorũ remãſerit honorabilis memoria, & pauca ad præſens veſtigia. Prægrandẽ hanc adeò ruinã pulchrè deſcripſit Propheta: *comminuetur, ſicut conteritur lagena figuli contritione prævalida: & non invenietur de fragmentis ejus teſta, in qua portetur igniculus de incendio, aut hauriatur parum aquæ de fovea.* Iſa. 30. v. 14.

O tempora! o mores! quibûs adimpleta venit Prophetia Ezechielis Prophetæ væ.

Ezech. 34. v. 2. *Pastoribus, qui pascunt semet-ipsos: nonne greges à Pastoribꝰ pascuntur? Lac comedunt, & lanis operiũtur, & quòd crassum est, occidunt, gregem autem meum non pascunt. Quod infirmum est non consolidant, & quod ægrotum, non sanāt, & quod confractum est, non alligant, & quod abjectum est, non reducunt, & quod perierat, non quærunt: Audite ergo Pastores verbum Domini: vivo ego, dicit Dominus Deus, quia pro eo, quod facti sunt greges mei in rapinam, & oves meæ in devorationem omnium bestiarum agri: hæc dicit Dominus Deus: ecce ego ipse super Pastores requiram gregem de manu eorum.*

S. Greg. hō. 27. Pulchrè alloquitur nos S. Gregoriꝰ: *ecce Mũdus Sacer-*

cer-

dotibûs plenus est, sed tamen in messe Dei rarus valde invenitur operator: quia Officium quidem Sacerdotale suscipimus, sed opus Officii non implemus. Fructus quidem Sanctæ Eclesiæ in dispendio quotidiano recipimus, sed tamē pro æterna Ecclesia minimè in prædicatione laboramus. Pensemus ergo cujus damnationis sit, sinè labore hìc percipere mercedem laboris. Pensemus, cujus sit apud Deum criminis, peccatorum pretium manducare, & nihil contra peccata prædicando agere. Pensemus ergo, qui unquam per linguam nostram conversi? qui de perverso suo opere nostra increpatione correpti pænitentiam egerunt? quis luxuriam ex nostra eruditione deseruit? quis avaritiam? quis superbiam declinavit? Pensemus, quod lucrum Deo facimus nos, qui acceptô talentô ab eo ad negotium missi sumus. Etenim dicit: negotiamini dum venio. Ecce jam venit, ecce de nostro negotio lu-

lucrum requirit. Quale ei animarum lucrum de nostra negotiatione mŏstrabimus? Quot ejus conspectui animarū manipulos de prædicationis nostræ segete illaturi sumus? Pensemus, & pensem9 nos omnes seriò. Quid est hoc? quod
Prov. 16. v. 11 dicit Salomō: *pondus & statera sunt judicia Domini*: si non hoc, quod legimus in E-
Luc. 12. v. 48 vangelio: *cui multum datū est, multum quæretur ab eo: & cui commendaverunt multum, plus petent ab eo.* Seu
S. Hier. super Isai. 32 ut dicit *S. Hieronymus*: vulgus indoctum in die Judicii tanquam gith & cimmū cortipietur virgâ & baculo, Sacerdotes autem magnis suppliciis torquebuntur: & hoc Domini fiet judicio, qui ostendit in cunctis mirabile

cun-

consilium suum, & justitiæ veritatem, ut qui plus acceperunt, plus exigatur ab eis.

Ego jam ad colophonem sermonem meum dirigens, cùm vobis quædam verba de Dignitate Sacerdotali ex *S. Laurentio Justiniano* paulò suprà adduxi, placeat vobis ejusdem S. Doctoris pauca verba, cur ad hunc statū, & in hanc sortem vocati sumus? perlibenter auscultari. Dicit ille: *Sacerdotes quoniã Angelorum, sive adstantium, sive ministrantium vice funguntur, potiùs Angelicã, quàm humanam debent conversationem habere. Accedat igitur Sacerdos ad Altaris Tribunal, ùt Christus: assistat, ùt Angelus: ministret, ùt Sanctus: populorum offerat vota, ùt Ponti-* S. Laur. Iust. ubi supra.

tifex: interpellet pro pace, ut Mediator: pro se autem exoret, ut homo. Huic expedit ut Divinæ laudis sit amator, religiosus in se, humilis corde, & erga proximorum errata cōpassione cōpunctus. Adextremum attendamus, quomodo adhortetur nos, Primipilus Apostolorum Petrus - *quapropter Fratres magis satagite, ut per bona opera certam vestrā vocationē, & electionē faciatis sic enim abundanter ministrabitur vobis introitus in æternum Regnum Domini Nostri, & Salvatoris JESU Christi* - Ad quod nos perducant merita & Passio Ejus.

2. Petr. 1. v. 10.

A
M E
N.

MEDITATIONES
ex Sacra Scriptura de Sacerdotio.

MEDITATIO I.
de Sacerdotii dignitate.
Punctum I.
Christus instituit Sacerdotes.

☞ VOs estis Sal terræ: *
vos estis Lux Mundi, *Matth. 5.*
Luc. 8.
* Fratres mei, * Amici mei, *Joan. 15*
* Piscatores hominū, * Ge- *Matth 4.*
nus electum, Regale Sacer- *1. Petr. 2.*
dotium, Gens sancta, Popu-
lus acquisitionis: ut virtu-
tes annuntietis ejus, qui de
tenebris vos vocavit in ad-
mirabile lumen suum. * Ego *Psal. 81.*
dixi: Dii estis, & Filii Ex-
celsi omnes. * Sicut dilexit *Joan: 15.*
me Pater, & ego dilexi vos: * *v. 15.*

☞ *In Sacerdotii institutione dignitas petitur ex vocatione sublimi.*

vos

vos dixi amicos, quia omnia
quæcunque audivi à Patre
Luc. 8. meo, nota feci vobis. * Vo-
bis datum est nosse myſteri-
Joann. 15. um Regni Dei. * Non vos
me elegiſtis: ſed ego elegi
vos, & poſui vos, ut eatis,
& fructum afferatis, & fru-
Hebr. 5. ctus veſter maneat. * Nec
quiſquam ſibi ſumit honorē,
ſed qui vocatur à Deo tan-
quam Aaron.
Matth. 28. ☞ Data * eſt mihi omnis
poteſtas in Cœlo & in terra.
v. 19. * Euntes ergo docete omnes
gentes, baptizantes eos in
nomine Patris, & Filii, & Spi
Marc. 16. ritus Sancti. * Euntes in
Mundum univerſum, prædi-
cate Evangelium omni cre-
v. 16. aturæ. * Qui crediderit &
baptizatus fuerit, ſalvus e-
rit: qui verò non crediderit,
condemnabitur. ☜

☞ *Ex poteſtate docendi & baptizandi.*

☞ Sicut * misit me Pater, *Joan: 20.*
& ego mitto vos. * Accipi *v. 22.*
te Spiritum Sanctũ. * Quo- *v. 23.*
rum remiseritis peccata, re-
mittuntur eis, & quorum
retinueritis, retenta sunt.

☞ Caro * mea verè est ci- *v. 56.*
bus, & Sanguis meus verè
est potus. * Venite, comedi- *Prov: 9.*
te panem meum. * Accipite *1. Cor: 11.*
& manducate, hoc est Cor-
pus meum, quod pro vobis
tradetur: hoc facite in meã
commemorationem. * Bibi- *Prov: 9.*
te vinum, quod miscui vo-
bis: * bibite ex hoc omnes; *Matth: 26.*
hic est enim Sanguis meus
novi testamẽti, qui pro mul
tis effundetur in remissionẽ
peccatorum. * Hoc facite, *1. Cor: 11.*
quotiescunq; bibetis, in me-

☞ *Tam remittendi, retinendique peccata*
☞ *Ac præsertim sacrificandi Corpus & Sanguinem Christi.*

am cõmemorationẽ; * quotiescunque enim manducabitis panem hunc, & calicẽ bibetis: mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.

Matth: 5. ☞ Luceat * lux vestra
1. Mach. 16 coram hominibus. * Estote
Psal: 81. loco meo. * Dii estis, & filii
Matth: 10. lii Excelsi omnes. * Nos vos estis, qui loquimini: sed Spiritus Patris vestri, qui lo-
Luca 10. quitur in vobis. * Dicite illis: appropinquavit in vos
2. Cor: 5. Regnum Dei. * Pro Christo legatione fungimur, tanquã
Matth: 28. Deo exhortãte per nos. * Et ecce ego vobiscũ sum omnibus diebus usque ad consum-
& cap. 10. mationem sæculi. * Qui recipit vos, me recipit: & qui me recipit, recipit eum, qui

me

☞ *Et ex ipsius divina persona, quam sustinent Sacerdotes in omnibus his functionibus.*

me misit. * Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit. Qui autem me spernit, spernit eum, qui misit me. *Luca 10.*

Punctum II.

Sacerdos expendit humiliter tantam in se dignitatem.

☞ BEnedicite * Sacerdotes Domini Domino: laudate & superexaltate eũ in sæcula. * Qui dilexit nos & lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo: & fecit nos regnũ & Sacerdotes Deo & Patri suo: ipsi gloria & imperium in sæcula sæculorum: Amen. * Benedicite servi Domini Domino: laudate & superexaltate cum in *Daniel: 3.* *Apoc: 1.* *Dan: 3.*

☞ *Sacerdos invitat alios Sacerdotes & populum ad benedicendũ Deo pro tanto beneficio.*

Matth. 9. in sæcula, * qui dedit pote-
Hebr: 1. statem talem hominibus; *
cui enim dixit aliquãdo An-
Matth: 16. gelorum? * Tibi dabo ☞
claves Regni Cœlorum, &
quodcunque ligaveris super
terrã, erit ligatũ & in Cœ-
lis: & quodcunque solveris
super terram, erit solutum
Hebr: 1. & in Cœlis. * Nonne omnes
sunt administratorii Spi-
ritus, in ministerium missi
propter eos, qui capient hæ-
Cap. 13. reditatẽ salutis? * Habemꝰ
Altare, de quo, edere non
habent potestatem.

Coloss: 4. ☞ *Vide * ministerium, quod accepisti à Domino.*

Psal: 109. * Tu es Sacerdos.
Genes: 14. * Sacerdos Dei Altissimi.
2. Mach: 1. * Ex genere christorum Sa-
cerdotum.

An-

☞ *quo præ Angelis afficitur homo.*
☞ *unde seipsum & suspicit.*

* AngelusDñi exercituum *Malach: 2.*
* Homo Dei. *1. Tim: 6.*
* Protector salvationum *Psal: 27.*
Christi.
* Assimilatus autem Filio *Hebr: 7.*
Dei, * & ejus, quæ in futu *1. Petri 5.*
ro revelanda est, gloriæ cō-
municator.
* Sic pulchra ante ipsum *Eccli 45.*
non fuere talia, usque ad o-
riginem.
☞ *Vide ministerium, quod accepisti à Domino.*
* A, a, a, Domine Deus: *Jerem: 1.*
ecce nescio loqui, quia puer
ego sum, * vir pollutus la- *Isai: 6.*
biis, * nihil quidem habens *2. Mach: 4.*
dignum Sacerdotiô. * Quis *1. Reg: 18.*
ego sum, aut quæ vita mea.
Vide ministerium, quod accepisti à Domino. * QuisDo- *Psal: 112.*
minus Deus noster, qui in
altis habitat, * & humilia,

☞ *& humiliat.* C 9 re-

respicit in Cœlo & in ter-
v. 7. ra? * Suscitans à terra ino-
pem, & de stercore erigens
pauperem: ut collocet eum
cum Principibus, cum Prin-
cipibus populi sui.
Eccli 45. * Factum est illi testamẽ-
tum æternum, fungi Sacer-
dotiô, & habere laudem, &
glorificare populum suum in
v. 20. nomine ejus. * Ipsum ele-
git ab omni vivente offerre
Sacrificium Deo, incensum,
& bonum odorẽ, in memo-
riam placare populo suo: *
v. 21. & dedit illi in præceptis su-
is potestatẽ, in testamentis
judiciorũ, docere Jacob te-
stimonia, & in lege sua lucẽ
dare Israël.
2. Par. 17. * Quis ego sum Domine De
us, ut præstares mihi talia?
2. Reg. 8. * Quid enim sum, ut faciã
rem istã magnã? ME-

MEDITATIO II.
De disciplinæ Sacerdotalis legibus.

Punctum I.
Christus docet Sacerdotes:
Prima Lex.
Fuga Mundi.

☞ *AUdite * hoc Sacerdotes.* *Osea 5.*
* Ego non sum de *Joann. 17.*
Mundo. * De Mundo non *& cap: 15.*
estis, sed ego elegi vos de
Mundo: * propter quod exi *2. Cor. 6.*
te de medio eorum, & sepa-
ramini; * recedite, ☞ rece *Isai. 52.*
dite, exite inde: pollutum
nolite tãgere: mũdamini qui
fertis vasa Domini: * nolite *Lev. 11.*
contaminare animas vestras,
ne immundi sitis; * ego e- *v. 44.*
nim sum Dominus Deus ve-
C4 ster,

☞ *Fuga saeculi complectitur contemptũ voluptatũ.*

1. Thess. 4. ster, sancti estote, quoniam ego Sanctus sum: * ut sciat unusquisque vestrûm, vas suum possidere in sanctificatione & honore. * O quàm

Sap. 4. pulchra est generatio cum claritate! * in perpetuũ coronata triũphat coinquinatorum certaminum præmiũ vincens.

Marc. 12. * Cavete, ☞ à Scribis, qui volunt in stolis ambulare, & salutari in foro, & in primis cathedris sedere in Synagogis, & primos discubitus in

& cap. 10 cœnis: * quia hi, qui vidẽtur principari gentibus, dominantur eis & Principes eorum potestatẽ habent ipsorum; non ita autem est in vobis: sed quicunque voluerit fieri major, erit vester minister: & quicunque vo-

luerit in vobis primus esse, erit omnium servus; nam & Filius hominis non venit ut ministraretur ei, sed ut ministraret.

Videte, * & cavete ab omni avaritia: * nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis: * gratìs accepistis, gratis date: * ne quis profanus ùt Esau, qui propter unam escam, vendidit primitiva sua. * Pascite, qui in vobis est, gregẽ Dei, providentes non coactè, sed spõtaneè secundùm Deum: neq; turpis lucri gratiâ, sed voluntariè: * neque ùt dominantes in Cleris, sed forma facti gregis ex animo; * & cùm apparuerit Princeps Pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ coronam.

Luc. 12.
Joann. 2.
Matth. 10.
Hebr. 12.
1. Petr. 5.
v. 3.
v. 4.

Ædixitiarũ. C5 Pun

Punctum II.
Secunda Lex.
Unio cum Christo.

Exod: 22. ☞ VIri * sancti eritis mi-
Levit: 10. hi: * oleum quippe
sãctæ unctionis est super vos;
& cap. 20. * eritis mihi sancti, quia Sã-
ctus sum ego Dominus: & se-
paravi vos à populis, ut es-
Num: 18 setis mihi. * Custodite Sa-
cerdotium vestrum.
Joan: 15. * Ego sum vitis vera, &
v. 2. Pater meus Agricola est: *
omnem palmitẽ in me non
& sequ. ferentẽ fructum, tollet eum:
& omnem qui fert fructũ,
purgabit eum, ut fructum
plꝰ afferat. Manete ☞ in me
& ego in vobis: sicut pal-
mes non potest ferre fructũ
à semetipso, nisi mãserit in vi
te;

☞ *Ex unione cũ Christo oriuntur: fiducia in Deũ.*

te; ſic nec vos, niſi in me manſeritis.

☞ Ego ſum vitis, vos palmites: qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum: quia ſinè me nihil poteſtis facere. ☞ Si quis in me non manſerit, mittetur foras ſicut palmes, & areſcet, & colligent eum, & in ignē mittent & ardet.

In hoc clarificatus eſt Pater meus, ut fructū plurimū afferatis, & efficiamini mei Diſcipuli. Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos; manete in dilectione mea. ☞ Si præcepta mea ſervaveritis, manebitis in dilectione mea, ſicut & ego Patris mei præcepta ſervavi, & maneo in ejus dilectione. Ut quod

☞ *Diffidentia ſui, fles, & fructus plurimi, ut Humilitas, & Amor DEI.*

eun-

cunq; petieritis Patrē in nomine meo, det vobis.

Matth. 18. ☞ Iterum * dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamcunque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in Cœlis est, ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio

Joann. 16. corum. * Et non dico vobis, quia ego rogabo Patrē de vobis: ipse enim Pater amat vos, quia vos me amâstis, & credidistis, quia ego à Deo exivi.

☞ *Vis Orationis*

Punctum III.

Tertia Lex

Vita Apostolica.

Luca 12. ☞ Ignem * veni mittere.

☞ *Ad vitam Apostolicam hae sunt in primis necessaria. Zelus animarum,*

in terram, & quid volo, ni-
sì ut accendatur. * Euntes *Marci 16.*
in Mundum universum præ-
dicate Evangeliũ omni cre-
aturæ. * Ite igitur, & succē- *1. Reg: 14.*
dite eum ignî. * Quoscun *Matth: 22.*
que inveneritis, vocate ad
nuptias: * ut impleatur do- *Luca 14.*
mus mea. * Quoniam vos *Judith 8.*
estis Presbyteri in populo Dei
& ex vobis pendet anima
illorum, ad eloquiũ vestrũ
corda eorum erigite, * ne *Num: 18.*
& illi moriantur, & vos pe-
reatis. * Sic non est volun *Matth: 18.*
tas ante Patrem vestrũ qui
in Cœlis est, ut pereat unus
de pusillis istis. * Vosmetip *Iudæ ep.*
sos in dilectione Dei serva-
te: illos verò salvate, de i-
gne rapientes.

☞ Numquid * potest cæ- *Luca 6.*
cus cæcum ducere? nonne

Matth: 5. ambo in foveam cadent? *
Lev: 10. Vos estis lux Mundi: * habeatis scientiam discernendi inter sanctum & profanum, inter pollutum & mundum: doceatisq; filios Israël omnia
2. Petri 3. legitima mea: * parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos ratioñe de ea, quæ est vobis, spe, sed cum
Malach: 2. omni modestia * Labia Sacerdotis custodient scientiã, & legem requirent ex ore ejus: quia Angelus Domini exercituum est.

Matth: 10. ☞ Ecce * ego mitto vos, sicut oves in medio luporũ. Estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. Cavete autem ab hominib9: eritis odio omnibus propter nomen meum.

Si

Si Mundus vos odit, ſcitote, quia me priorem odio habuit. * Ne ergo timueritis eos. Joan: 15.
* Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: & quod in aure auditis, prædicate ſuper tecta; & nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere. Matth: 10.

☞ Si * quis mihi miniſtrat, me ſequatur: & ubi ego ſũ, illic & miniſter meus erit. Joan: 12.
* Qui non accipit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus. Matth: 10.
* Si quis venit ad me, & non odit Patrem ſuum, & matrem, & fratres, & ſorores, adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Et qui non bajulat crucem ſuam, & venit poſt me, non Luca 14.

☞ Mortificatio. po-

Joan: 12. potest meus esse discipulus.

* Amē, amē dico vobis: nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multū fructum adfert.

MEDITATIO III.

De Sacerdotii profanatione

Punctum I.

Christus increpat prævariratores Sacerdotes.

Apoc: 1. * *Audivi post me vocem magnam tanquam tubæ dicētis: quod vides scribe.*

Angelo Eccesiæ NN. scribe.

☞ Scio opera tua, & laborem, & patientiam tuam, & quia non potes susti-

☞ *Christus increpat Sacerdotem, salutis aliorum cupidum, & suæ immemorem;*

ſtinere malos, & non defeciſti: ſed habeo adversùm te, quòd charitatem tuam primam reliquiſti: memor eſto itaque unde excideris, & agè pœnitentiam, & prima opera fac; ſin autem, venio tibi, & movebo candelabrum tuum de loco ſuo, niſì pœnitentiam egeris.

Et Angelo Eccleſiæ NN. ſcribe.

☞ Tenes nomen meum, & non negâſti fidem meã. Sed habeo adversùm te pauca: quia habes illic tenentes doctrinam Balaam, doctrinam Nicolaitarum. Pœnitentiã age: ſi quo minus, veniam tibi citò, & pugnabo cum illis in gladio oris mei.

Et Angelo Eccleſiæ NN. ſcribe.

☞ *Sacerdotem amicum Novatorũ & Hæreticorũ.*

☞ Novi opera tua, & fidē, & charitatem tuam, sed habeo adversùs te pauca: quia permittis mulierem Jezabel, quæ se dicit Propheten, docere, & seducere servos meos

Et Angelo Ecclesiæ NN scribe.

☞ Scio opera tua, quia nomen habes quòd vivas, & mortuus es. Esto vigilans, & confirma cætera quæ moritura erant: non enim invenio opera tua plena corā Deo meo In mente ergo habe, qualiter acceperis, & audieris, & serva, & pœnitētiam age. Si ergo non vigilaveris, veniā ad te tanquā fur, & nescies, quâ horâ veniam ad te.

Et Angelo Ecclesiæ NN. scribe.

☞

☞ *Sacerdotē malè cautū in dirigendis mulieribus.*

☞ *Sacerdotē vitiosū & hypocritā,*

☞ Quia modicã habes virtutem, & servâsti verbum meum, & non negâsti nomẽ meum, ego servabo te ab hora tentationis. Ecce venio citò: tene quod habes, ut nemo accipiat coronã tuã.

Et Angelo Ecclesiæ NN scribe.

☞ Scio opera tua, quia neque frigidus es, neque calidus: utinam frigidus esses, aut calidus: sed quia tepidꝰ es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo. Quia dicis, quòd dives sum, & locupletatꝰ, & nullius egeo: & nescis quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus. Suadeo tibi emere à me aurum ignitum probatũ, ut

☞ *Sacerdotem modicæ virtutis.*

☞ *Sacerdotem tepidum & erroneæ conscientiæ.*

locuples fias, & vestimentis albîs induaris, & non appareat confusio nuditatis tuæ: & collyriô inunge oculos tuos, ut videas. Ego quos amo, arguo & castigo. Æmulare ergo, & pœnitentiã age.

Psal: 49 v. 16. & seqq. ☞ Quare * tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuũ? Tu verò odisti disciplinam: & projecisti sermones meos retrorsum. Si videbas furẽ, currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas. Os tuum abundavit malitiâ: & lingua tua concinnabat dolos. Sedens adversùs fratrem tuum loquebaris: & adversùs filium matris tuæ ponebas scandalũ. Hæc fecisti, & tacui. Existi-

☞ Sacerdotem Legis Divinæ reum & præconem.

ſtimâſti iniquè, quòd ero tui ſimilis: arguam te & ſtatuam contra faciem tuam. Intelligite hæc, qui obliviſcimini Deum: ne quando rapiat, & non ſit, qui eripiat. Sacrificium laudis honorificabit me: & illic iter, quo oſtendam illi ſalutare Dei.

☞ * Si nolueritis audire, Malach: 2. v. 2. & ſeqq. & ſi nolueritis ponere ſuper cor, ut detis gloriam nomini meo, mittam in vos egeſtatem, & maledicam benedictionibus veſtris, & maledicam illis: quoniam non poſuiſtis ſuper cor. Ecce ego projiciam vobis brachiū, & diſpergam ſuper vultum veſtrum ſtercus ſolennitatū veſtrarum. Et ſcietis, quia miſi ad vos mandatum iſtud;

D3 ut

☞ *Sacerdotes omnes ſimul prævaricatores.*

ut esset pactum meum cum Levi. Pactum meum fuit cum eo vitæ & pacis: & dedi ei timorem, & timuit me, & à facie nominis mei pavebat. Lex veritatis fuit in ore ejus, & iniquitas nō est inventa in labiis ejus: in pace & in æquitate ambulavit mecum, & multos avertit ab iniquitate. Labia enim Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore ejus: quia Angelus Domini exercituum est. Vos autem recessistis de via, & scandalizâstis plurimos in lege: irritum fecistis pactū. Propter quod & ego dedi vos contemptibiles, & humiles omnibus populis, sicut non servâstis vias meas.

Pun-

Punctum II.

Prævaricator Sacerdos miserum vitæ suæ statum expendit.

☞ EGo * vir videns paupertatem meam, * nihil quidem habens dignũ Sacerdotiô, * homo apostata, vir inutilis, * diligens hoc sæculum, * reversus ad vomitum, * reus Corporis & Sanguinis Domini, * Pene fui in omni malo, in medio Ecclesiæ. — *Thren: 3. 2. Mach: 4. Proverb: 6. 2. Tim: 4. 2. Petr: 2. 1. Cor: 11. Proverb: 5.*

* Inveterate dierum malorum, * cur tentavit satanas cor tuum, mentiri te Spiritui Sancto, * violare sancta & polluere tabernaculum? * Semen Chanaan, & non Juda, — *Daniel: 13. Actor: 5. Judith: 9. Daniel: 13.*

☞ *Sacerdos seipsum in multis reum agnoscit & accusat coram Deo.*

da, species decepit te, & cõcupiscentia subvertit cor tuum. * *Blasphemare fecisti inimicos Domini propter verbum hoc.*

2 Reg: 12.

Psal: 51. * Ecce homo, qui non posuit Deum adjutorem suũ: sed speravit in multitudine divitiarum suarum: & prævaluit in vanitate sua: * multiplicavit altaria ad peccandum: facta sunt ei aræ in delictum. * Pecunia tua sit in perditionem, quoniã donum Dei existimâsti pecuniâ possideri: *Blasphemare fecisti inimicos Domini, propter verbum hoc.*

Osea 8. Actor: 8.

Thren: 4. ☞ Quomodo * obscuratũ est aurum, mutatus est color optimus? Filii Sion inclyti,

&

☞ *Obstupescit præ pudore, comparans præsentem statum cum statu præterito.*

& amicti aurô primô, quomodo reputati sunt in vasa testa? Qui vescebantur voluptuosè, interierunt in viis: qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora. Candidiores Nazaræi ejus nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphirô pulchriores. Denigrata est super carbones facies eorum.

* Hæc est sors tua. *Isai 59.*

* *Quomodo cecidisti de Cœlo Lucifer*, qui mane oriebaris? corruisti in terram, *qui dicebas in corde tuo:* in Cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, similis ero Altissimo, *dicebas*. Verumtamen ad infernum detraheris, in profun- *& cap: 14. v. 11. & seqq.*

dum laci; qui te viderint, ad te inclinabuntur, teque prospicient, numquid iste est Vir! Et tu vulneratus es, sicut & nos, nostri similis effectus es. * Sicut populus, sic & cap: 24. Sacerdos.

Ezech: 28. v. 12. & seqq. *Quomodo cecidisti?* * Tu signaculum similitudinis, plenus sapientiâ, & perfectus decore, in deliciis paradisi fuisti: omnis lapis pretiosus operimentū tuum; tu Cherub extentus & protegens, perfectus in viis tuis à die conditionis tuæ, donec inventa est iniquitas in te: perdidisti sapientiam tuam in decore tuo: in multitudine iniquitatum tuarum polluisti sanctificationem tuam;

Eccli: 47. * dedisti maculam in gloria tua.

Quo-

Quomodo cecidisti? * Ecce docuisti multos, & manus lassas roborâsti: vacillantes confirmaverũt sermones tui, & genua trementia confortâsti: Nunc autem ubi est timor tuus, fortitudo tua, patientia tua, & perfectio viarum tuarum? Job 4.

☞ Destitutæ * sunt tantæ divitiæ. Apoc: 18.

* O plene omni dolo & omni fallacia: fili diaboli: inimice omnis justitiæ. Usquequo non desinis pervertere vias Domini rectas? Actor: 13.

* Numquid qui cadit, non resurget? & qui aversus est, non revertetur? Jerem: 8.

☞ Vigilavit * jugum iniquitatum mearum: infirma Tren: 1.

ta

☞ *Cogitat de conversione,* ☞ *sed ab omni parte sentit & timet ejus difficultatẽ maximã;*

ta eſt virtus mea: dedit me Dominus in manu, de qua non potero ſurgere. Idcirco ego plorans, & oculus meus deducens aquas: quia longè factus eſt à me conſolator,
& cap: 3. convertens animã meam. *
Repulſa eſt à pace anima mea
Job 33. * abominabilis ei ſit in vita ſua panis, cibus antè deſiderabilis.
Tren: 3. * Dixi: periit finis meus,
Hebr: 6. & ſpes mea à Domino. * Impoſſibile eſt, eos, qui ſemel ſunt illuminati, guſtaverunt etiam donũ Cœleſte, & participes facti ſunt Spiritus S. guſtaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque ſæculi venturi, & prolapſi ſunt, rurſus renovari ad pœnitentiã, rurſus crucifientes ſibimetipſis Filiũ Dei, & oſtentui habentes. *

* Voluntariè enim peccan- *cap: 10.*
tibus post acceptam notitiã
veritatis, *jam non relinqui-*
tur pro peccatis hostia. * Quo- *Lev: 10.*
modo potui comedere eam?
* Peccavi tradens sanguinẽ *Matth: 27.*
justum, * reus Corporis & *1. Cor: 11.*
Sanguinis Domini: * non se- *4. Reg: 6.*
mel, neque bis: * non dico *Matth: 18.*
usque septies, sed usque se-
ptuagesies septies: *Jam non*
relinquitur pro peccatis ho-
stia.

☞ Spera * in Deo tuo sem- *Osea 12.*
per. * Quæ impossibilia sũt *Matth: 18.*
apud homines, possibilia sũt
apud Deum.

* Habentes ergo Pontificẽ *Hebr: 4.*
Magnum, qui penetravit
Cœlos, Jesum Filium Dei,
teneamus confessionem; non
enim habemus Pontificẽ, qui
non

☞ *Se tamẽ excitat ad fiduciã in Divinã misericordiã*

non possit compati infirmitatibus nostris: tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato. Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ, ut misericordiã consequamur; & gratiã inveniamꝰ in auxilio oportuno

CONCLUSIO
MEDITATIONIS.

Pænitentis Sacerdotis Oratio, ad Jesum Sacerdotẽ Magnũ.

Zach: 3. * *Audi Jesu Sacerdos Magne,* * Princeps Pastorum,
1. Petr: 5. * Sacerdos in æternũ, * cu-
Psal: 109. jus factus sum Minister secũ-
Ephes: 3. dùm donum gratiæ Dei, quæ data est mihi secundùm operationem virtutis ejus.

Audi Jesu Sacerdos Magne,
Hebr: 7. * semper vivens ad interpellan-

landum pro nobis. *Audi :* *Psal: 85.
Domine miserere mei.
* *Sana animam meam, quia* Psal: 40.
paccavi tibi. * Peccavi, tra- Matth: 27.
dens sanguinē justum, * re- 1. Cor: 11.
us Corporis, & Sanguinis
Domini.
Sana animam meam. * *Do-* Matth: 8.
*mine, non sum dignus, ut in-
tres sub tectum meum · sed
tantùm dic verbo, & sana-
bitur.*
Tantùm dic verbo. * Lo 1. Reg: 3.
quere Domine, quia audit
servus tuus. * Dic animæ Psal: 34.
meæ: salus tua ego sum: *&
sanabitur.*
Domine, non sum dignus, *Eccl: 45.
offerre sacrificium Deo, incē-
sum, & bonum odorem, in
memoriam placare in popu-
lo. *Sed tantùm dic verbo:* *Matth: 9.
Fili, remittuntur tibi pecca
ta tua.
*

Lucæ 15. * Jam non sum dignꝰ võcari Filius tuus; fac me sicut unum de mercenariis tu-
Psal: 25. is. * Ne perdas cum impiis Deus animam meam, & cum viris sanguinum vitam me-
Psal: 85. am: * custodi animam meã; quoniam sanctus sum.
Psal: 42. * Judica me, Deus, & discerne causam meam de gente non sancta, ab homine iniquo & doloso erue me; quia tu es DEUS fortitudo mea: quare me repulisti? & quare tristis incedo, dum affligit me inimicus? *Emitte lucem tuam & veritatẽ tuã:* ipsa me deduxerunt, & adduxerunt in montem sanctũ tuum, & in tabernacula tua. *Emitte*, & introibo ad Altare Dei, ad Deum, qui lætificat juventutem meam.

Con-

Confitebor tibi in cithara Deus Deus meus: quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultûs mei, & DEUS meus.

* Domine, quando respi- Psal: 34.
cies? restitue animam meã.
Confitebor tibi in Ecclesia magna, in populo gravi laudabo te; * narrabo nomen Psal: 21.
tuum fratribus meis, in medio Eclesiæ laudabo te. * Do- Psal: 50.
cebo iniquos vias tuas, & impii ad te convertentur.

* Quamdiu quidẽ ego sum, Rom: 11.
ministerium meum honorificabo. * Et libétissimè im- 2. Cor: 12.
pendam, & super impendar ipse pro animabus.

* Fiat, fiat. Psalm: 88.

1. Tim: 1. * Fidelis ſermo & omni acceptione dignus; quod Christus JESUS venit in hunc Mundum peccatores ſalvos facere, *quorum primus ego ſum.*